



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 5. Luculenta talione punita adultera calumniatrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

§ V.

Luculenta talione punita adultera calumniatrix.

Albertus
Cranz. in
Saxon.
l. 4. c. 24.
Siffrid.
presbyt.
in Epito-
me Ba-
ron, tom.
30 Anno
998.

Ne quis autem existimet, Principes, aut Reges ista talia pati tantum, non etiam agere, Albertum Cranzium adeat, apud quem inueniet, An. Christi 998. Othonem III. Imp. Romam profectum, quo in itinere, iuxta Mutinam in villa Amula dicta diuertit. Ibi ea acciderunt, quæ magna admiratione digna metro scripsit Gotefridus Viterbiensis. Augusta vxor illius, Maria nomine, Regis Aragonum filia eodem hospitio vsa, hospite quoq; abuti voluit. Nam loci dominus erat Comes, vir integerrimus, æquè formâ ac genere & opibus præstans. In hunc procax femina, Imperatrix oculos coniecit. Oculos secuta est cupiditas: hanc impudentia, qua præualefcente, non verita est ab eo crimen petere. Horruit Comes inquam petitionem, & fortiter reiecit, nouus sæculi illius Iosephus. Sed & illa Putipharis vxori libidine par, eandem contempta, furore, quoq; est imitata. Siquidem repulsam passa, atq; amore in odium verso atrocem calumniam vertit in innocentem, eumq; apud Imperatorem accusauit, quasi
pudi-

pudicitiam suã pertentasset. Nimirum cre-
 dulus est zelus maritalis, ea de caussa & O-
 tho vxoris calumniæ fidem adhibuit, atque
 subito calore abreptus Comitem extemplò
 capite plecti iussit. Quod vbi ad coniugem
 Comitis fuit perlatum, dolore amens cu-
 currit, & sublatum de terra mariti caput, in-
 genti audacia, (quam pudoris ac timoris
 nescius furor ministravit) ante Othonẽ pro
 tribunali sedentem in medium proiecit, in-
 credibili vociferatione, viri sui innocentiam
 protestans, & immeritæ necis illatæ vin-
 dictam expetens: neque alium iudicem,
 neque reum in terris quærens, quàm Impe-
 ratorem ipsum, tunc iura reddentem, &
 iniuriã innocentissimo sanguini facientem.
 Et quia alij testes deerant, ad naturam at-
 que elementum prouocauit, contrectatio-
 nem ferri candentis in probationem, & ve-
 ritatis indicem offerens. Non potuit Im-
 perator contra eiusmodi testem excipe-
 re. Parantur omnia, ferrum ignitur. con-
 fluunt spectatores, sedet Otho, & vult in mu-
 liere Scauolam spectare. Mulier innocen-
 tiæ mariti interfecti conscia, metallum can-
 dens ambabus manibus arripit, atque illæ-
 sa non secus ac vernos flores contrectat, quo
 solùm

solùm prodigio attoniti Imperatoris præcordia exurebantur. Exultat primùm ipsa victrix. Mussant deinde, capitibus inter se collatis, qui ad spectandum confluxerant. Palàm tandem ab omnibus mulieri tam heroicæ acclamatur: quæ tum miraculo, tum applausu animata, postulat à gladio Imperatoris, talionis vindictam in ipsum Imperatorem. O quàm alia tunc fuerunt sæcula! nunc mille prætextus excogitentur ad Principem, in huiuscemodi errore, excusandum. Otho clara veritate conuictus, & culpam agnouit, & reum se falsus poenam non detrectauit; iugulumque pro iugulo spondit, solis inducijs, ad negotia quædam expedienda, postulatis. Mirus iustitiæ amor. pro morte innocenti illata, vult mortem oppetere Imperator; & vidua Comitissæ audet eam vrgere! Sed non permittunt id aulæ Proceres; circumstant feminam, & pro vital Imperatoris rogant; neq; eam multis precibus exorant, fuitq; frustra diu laboratum; donec tandem iudicium ea est conditione transactum, vt, quæ prima sceleris causa fuerat, Maria Regis filia, Imperatoris vxor, Augusta illa, & adultera, & calumniatrix, rogo adiudicaretur. Fuit &
hoc

hoc arduum Othoni, sed fecit. Arsit igitur infelicibus flammis Imperatrix, quæ illicito atq; impuro igne accensa ita exarsit, ut quem ad facinus inducere non poterat, per calumniam, in interitum nefarie præcipitaret; sed exitio alterius in exitium ipsa incurrit, atque in fenum abiit libidinosa, & calumniosa maiestas. Quo facto suam vitam redemit Imperator, & viduam tribus castris donatam, ut contenta abiret, rogavit.

§. VI.

Iustitia quanta sit vis?

Talionem vides? immò vides æquitatem? Sed Viduæ audaciam miraris? *Putas, neminem debere cogi ad iustitiam? cum legas patrem familias dixisse servis: Quoscumq; inuenieritis, cogite intrare? Miraris patientiam Imperatoris? Iustitia verò sic amanda est, ut ab eius operibus etiam pœna corporis nos cohibere non debeant, &c. Hinc est, quod ille fortissimus iustitia dilector exclamat: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* ait S. Augustinus. Et cogi igitur, appellatione illa, immò prodigio illo ad iustitiam potuit Imperator; & mortem

S. Aug.
48. ep.

Idem ep.
144.

Rom. 8.